

nium videtur esse maximum, cui & à Proregibus præ ceteris obuiandum. Pro quo sic apud Casiodorum Lib. 7. 42. quisquis ille est, qui scribit Princeps: Frequenter Saiones, quos à nobis credidimus pia voluntate contedi, querelis maximis cognouimus ingratos extitisse. Corruptum est (proh dolor) beneficium nostrum, crenique potius de medicina calamitas, dum ad alios usus, potentium malignitate, translati sunt, quoniam eos nostra remedia transfulerunt. Vnde nobis necesse fuit remedio salubri votis pestiferis obuiare: ne, dum pietatis studium ad equalia beneficia trahitur, surreptionum iniquissima patiamur. Sic ille. Pro quo hic non plura.

Casiodorus.

CAPVT X.

Ordinationes Regias quomodo debeant Indici Proreges obseruare.

Ordinationes Proreges in conscientia argere.

85 Vnt quidem illæ non pauca, & magnâ consideratione disposita: vnde generaliter negari nequit grauem inducere obligationem; aliàs officium omnium maximum, & à quo tot rerum momenta dependent, nullis legum specialium vinculis tenentur. Quod quidem quàm sit absurdum statim apparet, vt non sit opus circa hoc longiores discursus cumulare. Et ita Dom. Solorzanus Lib. 4. Cap. 9. num. 57. & in Politicâ pag. 869. s. Y todo, & seqq. ait instructiones Proregibus tradit solitas esse Regia mandata, quas legere & obseruare debent, & à quibus non licet saluâ conscientia recedere. Pro quo & Cap. 10. num. 39. vbi & Auctores obligationem eandem firmantes adducit. Circa illud tamen

Affertio 1. Aliquas Ordinationes nec sub venia obligare.

86 Dico Primò. Aliquæ instructiones sunt, aut etiam ordinationes, quæ neque ad veniale peccatum videntur obligare. Id probo. Quia in omni ordinatâ gubernatione ita obseruari debet, vt aliqua sint pro commodiori tantum procedendi modo disposita, & instruant potius quàm premant. Videantur dicta Titulo præced. num. 96. In Societate quidem Iesv, in qua optimi regiminis forma præluet, ita se res habet, vt videri potest in Libro Ordinationum, vbi & Instructiones appositæ, earum discrimine declarato.

Affertio 2. Nonnullas tantum sub venia obligare.

87 Dico secundò. Non omnes Ordinationes, quæ vim legis habere videntur, sub mortali Proreges obligant. Probatur ex dictis circa Regios Consiliarios Titulo præced. Cap. 9.

Affertio 3. Quæ sub mortali.

Dico tertio. Obligant sub mortali illæ, quæ si non obligarent, non satis videretur bono communi consultum. Est iuxta ibidem dicta n. 99. Quæ autem sint illæ, non est facile iudicare. Vnde cum materia grauis est, timendum valde, & à recto tramite minimè deuiandum.

Affertio 4. Quæ ut sunt Auditorum Præfides.

88 Dico quarto. Proreges Indici vt Auditorum Præfides eo modo obligantur, quo Regij Consilij Dominos diximus obligari Titulo præcedenti num. 100. quod & eisdem rationibus comprobatur.

Affertio 5. Circa ea, quæ iustitiam concernunt.

Dico quinto. In iis, quæ iustitiam concernunt. Proregum obligatio grauis est. Talia sunt, causas ad eos spectantes ex abrupto, & non seruato juris ordine, ac secundum causæ merita, iudicare. Sic Dom. Solorzanus Lib. 4.

Cap. 10. num. 43. vbi ait debere secundum suam iudicare conscientiam: quod obligationis genus non humanum, sed diuinum ac naturale est; vt scilicet nemo contra id, quod conscientia faciendum esse distauerit, operetur. Item. Quod præfentes non sint, cum de appellationibus ab ipsis interpositis terminandis volunt agere Auditores. De quo Dom. Solorzanus supra Cap. 3. n. 41. & in Politicâ pag. 768. s. De todo. Cum enim eos ille tangat articulus, timere profecto Auditores possunt, ne eorum animos contraria decernentes exasperent, ex quo iustitiæ violatio venit etiam formidanda. Quæ præsumptio, cum sit juris, & de iure, non est ex earum genere, quæ obligationem legum videntur auertere, quando in solâ juris præsumptione fundantur. Præterea. Omnia illa, de quibus dictum Capite præcedenti, & alia, quæ cum occurrunt, non erit difficile deprehendere ad iustitiam pertinere, quorum judicialis cognitio. Proregibus est prohibita, & sola gubernatio demandata, in qua etiam sunt certi denique fines, vt videri potest apud Dom. Solorzanum citato Cap. 3. num. 39. & in Politicâ pag. 767. s. Lo vnderimo.

CAPVT XI.

De obligatione in negotiorum expeditione, ac in nonnullis aliis.

89 Dico primò Proreges Indici peccant grauius. Si eorum negligentia, tardio, aut aliquo alio humano respectu, negotia, quæ ad eos spectant, retardentur. Pro hoc est optima animaduersio Dom. Solorzani Lib. 4. Cap. 9. numer. 63. & in Politicâ pag. 869. in fine. Videantur dicta Cap. 9. s. 1. Si enim grauius peccent dum expeditionem negotiorum, quæ ad Auditores Regios spectant, non vrgent, manifestum inde est in ijs, quæ suæ ipsorum curæ sunt, etiam grauius delinquere, si cum litigantium, aut causam agentium propriam, incommode prorogantur. Semper autem interueniunt incommoda, multiplicatis sumptibus, & imminutione bonorum, quæ ex absentia à propriis domibus, & alijs non leuibus occasionibus oriuntur. Vnde & obligatio restitutionis planè consequitur, ni velint ipsi, & qui eorum moderantur conscientias, in aperto lumine caligare. Et vt obligatio restitutionis non sit, ipsa cessatio ab operatione damnabilis est in operario conducto ad laborem magno pretio compensandum.

In negotiationum retardatione grauius peccare.

90 Dico secundò. In ijs, quæ Assessor vt obligatoria proponit, & jus tertij concernunt, atque aliquam iuris notitiam exigunt, tenentur Proreges Indici consentire, nisi forte alium consulant aliter sentientem, qui ordinarius Assessor non sit, vel Ordinarius vt probabile proponat id, circa quod vertitur controuersia. Ratio est: quia licet Assessor non sit iudex, sed consultor specialis, vnde laicus potest esse Assessor Episcopi in causis spiritualibus, vt tradunt Doctores, quos affert P. Thomas Sancius Lib. 7. de Matrimonio Disput. 46. num. 14. ex l. 1. D. de officio Assessoris: sine illius tamen sententiâ periculum errandi in re grauis momenti incurritur: quod quidem

Affertio 2. Quæ obligatio statim di iudicio Assessorum.

Affertio non est index.

quidem stare nequit sine graui conscientia grauiamine. Nisi forte alia ejusdem generis ex Assessoris sententiâ iam fuissent decreta, & in eâ, de qua agitur, nihil occurreret, ex quo lapsus considerabilis timeretur.

Affertio 3. Peccare grauius suam ampliantes potestatem.

91 Dico tertio. Proreges peccant grauius suam ampliantes potestatem. Id constat. Quia si priuatus potestatem ad aliquid usurparet, peccaret grauius, vt rei alienæ usurpator, quæ magna est estimationis: vnde & grauissima in legibus pro huiusmodi crimine pœna inuenitur constituta: Atqui Proreges in ijs, quæ ipsis concessa non sunt, vt priuati habentur, cum non plus juris ad illa habeant, quàm iidem: ergo illos est grauius delinquere manifestum. Videatur Dom. Solorzanus supra Cap. 10. num. 9. & in Politicâ pag. 874. s. Pero yo vbi hunc Indicorum Proregum carpit abulum; vix enim reperitur aliquid ab eisdem non tentatum, ultra limites, inquam, legitimæ potestatis: crescent semper abulu; nam successores plus aliquid semper moluntur, facile addentes inuentis, vt posteriores plenior affert potestatem videantur. Erit autem damnabilior, si eò deueniat, vt ea, quæ ardua sunt, & Regiæ amplitudini referuata, sibi velint Proreges arrogare. Pro quo idem Cap. 10. num. 11.

Stylus per exemplaria iudicandi non probandus in præfatis.

92 Hinc mihi semper displicuit stylus nimis in his, quæ placent Proregibus, obseruatus, per exemplaria inquam iudicandi. Cum enim illa ex abusu multoties sint explicato profecta, qui fieri potest, vt cæco debeant more, quâsi Delphica oracula venerari. Si præsertim Ecclesiasticam immunitatem concernant, in quo video non satis cautè quandoque procedi. Hinc est doctrina complurium, quos adducit, & pro eâ laudat Dom. Solorzanus lib. 2. Cap. 28. num. 49. & in Politicâ pag. 386. s. y non haben, dicentium exemplaribus in iudicando parum esse fidendum, cum causæ non sint semper omnino similes. Et in terminis causæ, de qua agimus, idem obseruat, etiam eum de consuetudine agitur, ob rationem dictam perperam extensæ potestatis; vnde illa debet rationabilis comprobari. Pro ijs autem, quæ ad Ecclesiasticas causas spectant, addò nihil fidendum exemplaribus, vt nec legibus sæcularium Principum deferri debeat; prout Rota obseruat in vnâ Oscensis Canonicatus apud Dianam Parte 5. s. Ad istas & s. Sed respondetur. Vbi multa de consuetudine circa huiusmodi reprobanda. Quod ergo affirmat Menochius Consilio 52. num. 50. adductus à Barbosa in Collectaneis ad Decretales Lib. 2. Tit. 27. Cap. 29. num. 4. exemplo optimi Principis firmiter iudicandum esse, hic non potest applicari: quia nec Proreges absolute nomine Principum veniunt, licet communiter ita vocentur; cum id nomen eum specialiter designet, qui supremâ gaudet potestate, cuius & sententia facit jus, iuxta Auctores quamplures ab eodem adductos Collectore: quod & pro Papâ citatum Cap. in causis, aperte determinat. Tum etiam quia licet plures ex Proregibus se laudabiliter gesserint; ad optimi excellentiam, numeris omnibus absolutâ ex bonitate confurgentem, rarus probabitur peruenisse. Tum etiam, quia licet optimi illi, de Assessorum tamen non potest omnimodâ sapientiâ, experientia, & integritate, plena haberi certitudo.

In rebus maximè Ecclesiasticis, pro quibus reprobatur consuetudo.

Qui nomine Principum gaudent.

Princeps Pontifex.

93 Dico quarto. Proreges Indici grauius peccant, si à suis sententijs recursum ad Regales Audientias per viam appellationis impediunt. Constat ex Regiis rescriptis, quæ pro eo habentur, de quibus Dom. Solorzanus Lib. 4. Cap. 3. num. 39. & seqq. & Cap. 10. num. 54. & seqq. qui n. 56. ait illos sic impediendo male facere, vt est compertum, cum rescripta talia iustam & lege statutâ conferant defensionem. Videndus item in Politicâ pag. 768. s. De todo & pag. 881. s. De mas. Et quidem percuntari eos iuuat, quid sit, cur appellationis beneficium sic impedire conentur? Si enim ex eo quod superiores se in iis, quæ ad eos spectant, haberi volunt, neque in eorum executione ab inferioribus hominibus dependere: est illud sanè ingenuitate virorum tantorum indignum. Rex, qui eos honore isto condecorat, sic iubet, & est hoc honoris talis appendix. A quo ergo honorem tantum accipiunt, & emolumenta pariter plura & eximia, cur ingrati honoris appendicem renuant, & Regiam voluntatem amplecti sibi reputent indecorum? Item, illius sententiæ ab vnus litterati hominis, qui sapius ex Togatis non est, consultatione dependent: ergo dependentia indecens non est. Ex quo fit neque indecentem futuram, si causæ conclusio à multis, & sapientiâ & dignitate præcellentioribus viris debeat expectari. Si autem timere se dicant, ne quod ab eis est dispositum, ab appellationis iudicibus dirimatur: argumento id planè est rem non esse iustitiæ omnino conformem: quæ enim conformia sunt, quis dubitet à dictis iudicibus confirmanda? Ad quod præter causæ merita, eorum adigit reuerentia. Quis enim gratis velit infensum habere Proregem? Deferant ergo appellationi: hoc enim est Regi ipsi deferre, sic iubenti: & gloriosum ducant hoc esse quod sunt; minores inquam Principe, à cuius tantum sententiâ non est licitum appellare. In ijs autem, circa quæ opiniones sunt, sequantur ipsi quod volent, vnde superuacaneum est quid nobis videatur verosimilius in talibus propalare. Ergo ad alia.

Affertio 4. Grauius peccare appellationem à suis sententijs impediens.

CAPVT XII.

Quomodo Proreges possint in iudicium ordinariorum annuâ electione, & aliorum Officialium Capitulis ciuitatum indulta, peccare.

94 Dico primò, posse grauius peccare: & vtinam re ipsa non peccent, quod grauius multoties querelæ videntur indicare. Libera esse illa debet: vnde si libertas ostensione beneplaciti cum efficacitate propositi stare nequeat, satis inde constat, quantum iustitiæ iura ex hac parte violentur. Vbi non obstat, si dicatur secreta esse suffragia, quæ in vnam mittuntur (quæ & ante missionem in manus Proregis quandoque veniunt, à quo & adstantibus propalantur) experientia enim constat, nihil huiusmodi manere secretum. Quid si eum reeligere faciat, qui jam annum administrationis

Affertio 1. posse peccare grauius circa annuam electionem.

strationis exegit, contra nitentibus Ciuitatis Re-

Assertio 2. Inceptorum electio nequit, nisi grauius peccando, confirmari.

Quomodo illa prudenter cuiusdam.

Specialis casus circa electionem anni 1658.

95 Dico secundò. Si electio talis sit, vt electi à Capitulo Proregi videantur inepti, peccabit grauius, si eos confirmari. Id planum; quia mala electio nequit saluà conscientia confirmari; id enim est malo robur addere, quod pessimum malorum est, confirmatio enim auctoritatem tribuit, qui est vnus eiusdem effectus, inter alios, de quibus Glossa in Cap. Quia diuersitatem, de concessione Præbendæ. Et res est manifesta. Potest autem hoc prudenti animaduersione cauere. Ante electionem siquidem spargi in vulgus solet de aliquorū electione tractari: quæ vox ad Proregis aures nequit non deferri, ad quas minutissima alia deferuntur. Rectores ergo ciuitatis admoneant ne talē vel talē eligant: quo pacto ad durū illū reprobandæ electionis non deuenietur articulum. Neque hoc est libertati electionis obstare, sed eam dirigere, quod Proregalis est muneris, sicut contrarium ipsi id, quod Assertione præcedenti dicebamus.

96 Pro quo iuuat casum apponere, qui eo ipso, quo hæc scribebam, die accidit. Cùm enim Prorex duos equites sibi benè viſos eligendos vellet, idque diu ante electionis diem fecisset Capitularibus manifestum; annuerunt illi, cùm esset periculo expositum repugnare. Die ergo electionis accedente Prorege, afflurrexerunt omnes & dixerunt suæ voluntatis esse vt duo dicti equites ordinarii iudices crearentur, quando sic Excellentia suæ placitum agnoscebat. Cùmque Prorex eā videretur acclamatione contentus, secretè est admonitus ne talem electionis modum admitteret, sed vsitatum per suffragia omnino secreta obseruandum imperaret. Eo, vt videtur, intuitu, ne aliquando Proregi ablata libertatis in electione capitulum posset opponi. Tunc ergo ille se in talem electionem non consentire respondit, & vt per suffragia in vnam missa celebraretur iniunxit, testatus se liberā velle penitus electionē. Factū sic quantum ad suffragationē & omnium suffragiis illi ipsi, qui acclamati fuerant, sunt iudices designati. Quis iam hic simulatā illam liberę electionis voluntatē non rideat? Si alios eligerent, qualem Principis indignationem incurrerent? Prior quidem electio libertati eligentium contraria visā est: Atqui & quæ secuta statim alia esse non potuit, neque quod erat ab omnibus dictum retractari; alias mendaces & viles ita sibi contrarii homines haberentur: ergo libertas in eā labefactata deprehenditur. Vbi, si bona non adfuit fides (vñ est adfuisse credibile) quis possit violatæ iustitiæ piaculum manifestissimum excusare? & bonam quidem fidem generaliter loquendo, desiderare magis possumus, quam firmare in iis, qui circa hæc se, vt debent, instructissimos profitentur. Quamuis sciam aliam quandoque in aulis Theologiam ab eā diuersam, quā in scholis didicimus, & probatis Auctoribus legimus, praticari.

97 Dico tertio. Peccatum est graue eos eligi, & confirmari, qui administrati officii ratio-

Assertio 3. Peccatum esse graue

nem, quæ in syndacatu reddi solet, minimè reddiderunt. Id constat; quia pro eo est lex, & materia est grauis, in cuius obseruatione magnū est boni publici momentum constitutum. Quod generaliter loquendo verum est: potest tamen exceptiones aliquas habere. 1. Si per electum non steterit, sed aliunde sit redditio retardata. 2. Si iam diu administratio præcessit, neque est arte aut dolo circa impeditiōnem actum. 3. Si nihil rumor sparserit de moribus eiusdem minū in officii administratione probatis. Tunc enim videtur finis & ratio legis cessare, & ita illius obligatio; iuxta dicta Titulo præced. num. 95.

non syndacatos eligi & confirmari.

Exceptiones aliquot.

CAPVT XIII.

De Proregum Indicorum obligationibus circa grauamina impositionum, siue exactionum.

§. I.

Non licere illis. Pro quo Assertiones tres.

98 Diuersis solent illæ nominibus explicari, de quibus Auctores communiter, & videri specialiter possunt. P. Molina Disp. 661. & duabus seqq. P. Thomas Sancius Lib. 2. Consiliorum, Cap. 4. dub. 1. & P. Fragosus Tomo 2. lib. 1. Disp. 3. §. 5. num. 110. & 111. & solent omnes gabellæ nomine designari, in quibus vna est specialis, de qua hic agendum, & vocatur Assisium, Hispanè Sisa, quæ datur de rebus emptis ad cibum & potum pertinentibus. Parum autem curandam nominum diuersitatem obseruat Cardinalis Lugo Disp. 36. de Iustitia, Sect. 1. num. 1. qui tamen illa explicat, num. 2. Circa quæ

Diuersa nomina exactionum.

99 Dico Primò. Proreges sine Regis licentiā nequeunt genus vllum publicarum exactionum imponere: & aliter facientes grauius peccant. Est iuxta omnes Doctores, qui potestatem imponendi gabellas in solis supremis Principibus recognoscunt, non recognoscentibus superioriorem in ordinariā gubernatione, si vnum Angelum excipiamus. v. Pedagogium, qui solum Regem Romanorum eā prerogatiuā gaudere contendit, non solum contra omnes, sed contra Textum locutus apertum, vt statim patebit. De Proregibus autem id specialiter tradit P. Lessius Lib. 2. sc. 33. n. 13. Bonacina Tomo 2. disp. 2. de Restitutione Quest. 9. Puncto 1. n. 1. Pharaonius in Appendice tr. 2. Sess. 10. Casu 6. Cardinalis Lugo supra n. 6. secutus P. Sancium etiam supra Dub. 3. alios referentem. Pro quo est manifesta decisio in Cap. Innocentius, de censibus, vbi ita loquitur Alexander Tertius: Nec quisquam alicui nouas pedagogiorum exactiones sine auctoritate & consensu Regum & Principum statuere aliquomodo presumat. Si quis autem contra hoc fecerit, & communitus non destiterit: donec satisfaciatur communiōne careat Christianā. Hæc Pontifex. Ex quibus in primis contra Angelum constat Reges & Principes posse gabellas imponere. Deinde impositiones ad eos solummodò pertinere. Vbi nequit dici Pedagogii nomine speciale debere genus impositionis intelligi, & est pensio pro rebus, quæ negotiationis causā alportantur, ad defensionem

Assertio 1. non licere Proregibus eas imponere, & aliter facientes grauius peccare.

Cap. Innocentius.

Pro quo Pontificia decisio.

Ad Pedagogium non arctanda.

tionem & reparatiōnem viarum destinata. Explicatio enim talis omnino est Pontificis menti contraria, qui de reparatiōne aut defensionē viarum non erat sollicitus magis quàm de aliis, neque erat cur de illis specialius cogitaret, cùm speciale inde grauamen non amplius immineret; præmittendo alia frequentiora, quibus fideles durius possent aggruari. De gabellarum ergo impositione generaliter locutus, pro quibus erat ratio eadem, & ita Doctores mentem eius intellexerunt, & vnanimiter declararunt.

Ex Bulla Cœna non rectè argumentū pro limitatione nominis dedit.

100 Neque est simile quod in Bullâ Cœnæ habetur in Excommunicat. 5. contra eos, qui pedagogia & gabellas imponunt, & augent &c. Ex quibus colligunt Hugolinus, Caietanus, Sayrus, Duardus, Bonacina, & alii, quos sequitur P. Palaus Parte 6. Disp. 3. Puncto 6. num. 3. & videtur etiam placere Patri Suario Tomo 5. in 3. p. Disp. 21. Sect. 2. num. 42. non excommunicari eos, qui imponunt tallias, collectas, seu præstantias, in quibus non rerum, sed personarum habetur ratio, quia per capita imponuntur: cùm enim lex pœnalis sit, non debet, nisi iuxta verborum accipi proprietatem. Non est inquam simile, quia diuersa est ratio, cùm de personis, aut cùm de rebus agitur; & ita quod de quibusdam dictum, ad alias non debet extendi. At in vectigalibus eadem est omnino ratio, vt vidimus, & ita intelligendum Doctores censuerunt. Vbi & addendum legem illam esse fauorabilem: Regibus quidem, quorum supremæ auctoritati consulitur, sicut & aliorum supremorum Principum. Tum etiam bono publico, ne fideles exactionum multiplicatione grauentur: neque impropriantur verba, sed in minus vsitatâ acceptione sumuntur: vel potius non iuxta primariam nominis impositionem, sed iuxta vltimam postea subsecutam; vt in nomine gabellæ videre licet, cuius primariâ impositio à vectigione deducta, eò quod merces conuehantur; & tamen ad alia solet extendi, quæ non aliunde conuehantur, vt in assisio constat, & in guidagio, quod pro ducatu per viam soluitur ratione securitatis, vt ait Glossa in Cap. Super quibusdam, de verborum significat. Et idem est de pedagio, quod ad omnem exactionem extenditur in Cap. Quamquam, de Censibus in Sexto: Præterquam quod excommunicationem ad collectas imponentes extendi tenent aliqui, quos adducit, & sequitur P. Filiucius tr. 16. n. 108.

Fauorabile esse constitutionem.

Assertio 2. Proreges non incurrere in excommunicationem Bulla Cœna.

101 Dico secundò. Proreges in casu dicto non incurrunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ, constat ex illius tenore: anathematizantur enim omnes, qui in terris suis noua pedagogia seu gabellas imponunt, &c. Tantum ergo excommunicantur terrarum domini non agnoscentes superiores. Et ita explicant communiter Doctores, verba prædicta perpendentes, ex quibus P. Suarez supra n. 40. & P. Palaus etiam supra n. 4. id quod est mihi certissimū: & probabile etiam, non recognoscentes superiores præfatâ minimè excommunicatione ligari, si tributa imponant iniusta suâ excedentia potestatem: quod tenet P. Suarez supra num. 38. Potest autem congrua reddi ratio: nam Proreges, cùm temporarii sint, & syndacati subiecti, cauebunt huiusmodi excessum, qui facillè poterit aut in gubernationis sine, aut querelis ad Regem delatis submoueri. Domini au-

tem terrarum non ita se habent: & licet grauari conueniunt apud eos possint, id ipsum periculo plenum est, indignationem Dominorum eâ de causâ subituris. Non est autem hoc ita certum, vt contrarium sentientes desint, ex quibus P. Gaspar Hurtadus de Iustitia & Iure Disp. 14. diffi. 2. & Pharaonius supra.

102 Dico tertio. Proreges sine expressa licentiâ Regis nequeunt publica grauamina exactionum imponere, & aliter facientes peccant mortaliter. Sic P. Sancius citato Dub. 3. & Cardinalis Lugo supra num. 6. post Bonacina in expositione Bullæ Cœnæ Quest. 6. Puncto 3. num. 11. Licet ergo Rex illis Regalia concedat; circa oneris dicti impositionem non est generalis concessio vllatenus extendenda. De peccati autem grauitate dubitari nequit, cùm sit onus Reipublicæ grauissimum, & ampliatio exitiofissima potestatis. Videantur dicta num. 91.

Assertio 3. licentiam expressam requiri, & aliter peccari mortaliter.

§. II.

Circa Sissam notanda quedam, Assertiones alie.

103 Dico quartò. Onus Assisii, seu Sissæ ex Regis facultate ad vnum effectum impositum, non potest ex Proregis libitu ad alium applicari; nec tempus concessiōnis extendi, sine graui piaculo conscientia. Sic colligitur ex communi doctrinâ scriptorum assententium cessare tributi iustitiā, quando Princeps non præstat ea, pro quibus illud imposuit, & consequenter esse iniustam exactionem, neque esse obligationem ad soluendum. Sic plures, quos adducit & sequitur P. Sancius supra dub. 8. num. 5. P. Vasquez opusculo de Restitutione Cap. 6. Dub. 2. num. 25. & Dub. 4. num. 54. Cardinalis Lugo supra num. 20. 61. & seqq. P. Lessius Lib. 2. Cap. 33. num. 41. P. Sâ v. Gabella n. 5. P. Gaspar Hurtadus Disp. 14. citatâ Difficult. 8. P. Dicastillus lib. 2. de Iustitia Tractat. 20. Disp. 3. num. 179. & seqq. Bassæus v. Gabella numer. 7. & alii: qui de supremis loquuntur Principibus, vt de Proregibus nulla possit dubitatio superesse. Et in illis quidem citati Auctores, & alii, quod ad tempus attinet iustum esse tributum affirmant, licet vltra determinatum tempus protrahatur, si causâ eadem perseueret; vel si cessauerit, alia succedat, pro qua meritò possit imponi: secus si penitus cessauerit, & alia non extet æquiualens. Videantur præsertim Cardinalis Lugo num. 51. P. Vasquez numer. 66. P. Sancius num. 7. & Nauarra Lib. 3. Cap. 1. Parte 3. Dub. 11. num. 251. & 260. Vbi quod ad prius attinet, quando scilicet id, pro quo est tributum impositum, imperfectum est, quia non obstante contributione, & conuenienti diligentia adhibita, perfici non potuit; idem profus videtur admittendum, nam voluntas Regis debet talis æstimari. Licet enim sine expressâ illius facultate nequeat onus exactionis imponi, iuxta dicta Assertione præced. hoc tamen diuersum valde est, vbi facultas supponitur, & de perfectione operis rationabiliter præsumitur; fuit enim ad illud petita facultas, ad inchoandum scilicet & perficiendum, pro quo & concessa: & quia tanti temporis contributio sufficiens visâ est;

Cessat tributi obligatio non præstante Principe id, pro quo est impositum.

Circa tempus quæ fieri possit exactione.